jampridem voce & ſcriptis docuerunt, hodieq; docent; quæ ſit Veſtra in profitendâ religione libertas, in diſcernendis iis in quibus fundamẽtum & cardo ſalutis non eſt, à vero catholico ſeu communi & univerſali fundamento ſinceritas, in tolerandis illis qui aliquâ in re diſſentiunt, æquitas, in alliciendis etiam per arma Spiritûs & charitatis potiùs iis qui vos aut veſtros religionis ergo damnant, quàm quâ poteſtis vi atq; autoritate premendis, humilitas: tamen officii mei eſſe credidi, ut & ipſe meo loco profiterer publicè, quid illis Præceptoribus & Anteceſſoribus in Academiâ veſtrâ primùm didiciſſem; & confirmatum aliis in locis, poſtquam Tuâ Sereniſſime Elector, & Antiſtitum qui ſub tuá ſecundùm Deum clientelá degebant, autoritate, in Eccleſia & Schola veſtra